

M:2

304.415

1-4

Vajkovits

Decas Diserta.

II. III. Pars.

OSZK

Nemzeti Széchenyi Könyvtár

2.





DECAS DISSERTATIONUM  
ECCLESIASTICO-POLITICARUM  
DE  
CENSORIA LIBRORUM  
DISCIPLINA,  
SECUNDUM  
SERIEM TEMPORUM

AD  
ANNUM USQUE 1767. PERDUCTA;  
EODEMQUE ETIAM CONSCRIPTA.

QUARUM  
DUABUS POSTREMIS  
JAM NUPER TYPO DATIS, NUNC PRIMA  
QUOQUE ADDITA EST

EMERICO VAJKOVICS

ELECTO

EPISCOPO ALMISIENSI, ET PRÆPOSITO MAJ. AC  
CANONICO M. E. COLOCENSIS, NEC NON  
REGIO LIBRORUM CENSORE EMERITO.



---

PESTINI,  
TYPIS MICHAELIS LANDERER,  
NOBILIS IN FÜSKUT, 1791.

DISCIPLINA  
CENSORIA LIBRORUM

ANNO USQUE 1767 PERDUCTA  
EODEMQUE ETIAM CONSCRIPTA

Ordo præposterus, sed necessario  
commutatus.

JAM SUPER TYPO DATES, NUNC PRIMA  
QUOQUE ADITA EST

S. Hyer. L. 1. Comment. in Matth.

REGIO LIBRORUM CENSORE EMERITO.  
CANONICO M. E. COLCENSIS, NEC NON  
EPISCOPO ALMIRINENSI, ET PRÆPOSITO MAJ. AC  
RECTORI N. J. KÖNYVCS.



M 304.415.2

ORSZÁGOS SZÉCHÉNYI KÖNYVTÁR  
B2325/2001  
LELTARI SZÁM

---

# PRÆFATIO

A D

LECTOREM.

**M**iraberis (nullus dubito) Lector benevole: ex decem dissertationibus meis ante annos admodum 24. jam conscriptis, eam, quæ omnium ultima erat, loco primo e tenebris emerfisse, huicque proxime successisse penultimam? ac nunc demum veluti per saltum primam omnium typis datam esse? serie quidem inversa, sed non sine causa.

A 2

Cum



## P R Æ F A T I O

Cum enim in postremis Regni nostri Comitibus, inter inclytas alias deputationes una specialis ad librorum quoque censuram fuisset constituta; cui præ cæteris dissertationibus meis; decima videretur esse accomodatior, eo quod separatim ac consulto, de politica dumtaxat librorum censura ageret; sola isthæc est prælo commissa, quin tunc de reliquis edendis quidquam cogitaretur.

Accidit autem, ut pro laudabili operum recentius editorum cum publico communicandi instituto, hic quoque libellus ad auctorem Ephemeridum Latinarum deferretur. Isque cæteris suis super eo observationibus eam etiam jungeret, qua magis e re futurum fuisse arbitrabatur. — Si in libertinismi abolitionem styllum meum acuerem, atque converterem etiam consilium hoc mihi, pro quadam quasi divinationis specie reputari posse videbatur:

ut

A D L E C T O R E M.

ut si arcana scrinii mei fatidico quopiam afflatu fuissent detecta.

Dissertatio siquidem ultimam antecessens reapse eadem est, quæ libertinismum data opera oppugnat, et iis quidem rationum momentis, quæ omnem sanæ mentis hominem movere debeant, authoritatibus certe tantis, quibus majores in humanis frustra quæfiveris. Penultimam itaque illam dissertationem nulla mora ex diuturnis carceribus suis ad hanc auram evocavi.

Quid porro factum? Illud nimirum: ut quemadmodum moto uno catenæ continuæ annulo, reliqui sequuntur; ita nona illa dissertatio, utut a se distantem, vi quadam sympathica traxerit post se hancce omnium omnino primam.



P R Æ F A T I O

Laudatus siquidem Ephemeridum editor in sua ad secundi illius opusculi recensione, suam reliquarum etiam dissertationum edendarum ardens adeo ac amplum manifestavit desiderium: *ut cuperet, omnes videre!*

Nec staret per me profecto, quominus Vir Clarissimus voti ex asse potiretur; si morbis ac senio langvens animus fineret: non dico, novi quid procudere, sed vel sub incudem revocari, quod jam olim profusum fuerat.

Quia tamen nihil etiam deferre, tam urbanæ insinuationi videretur fore inofficiosum. Idcirco, insuper habita nonnulla etiam incommoditate atque molestia, sit dissertatio hæc boni victima consilii.

Cum cæteroquin etiam finis illius non alius sit, atque reliquarum: prohibitio vide-

de-

A D L E C T O R E M.

delicet librorum perniciosorum, non se-  
cus ac præli exorbitantis refrenatio.

EX quorum alioquin abusibus, quid  
aliud quæso poterit sibi portendere Res-  
publica; quam quod in præsentiarum ex-  
peritur Gallia? ubi cæteris turbarum cau-  
sis, libelli etiam famosi accensentur.

**Licentia typi summum attingebat  
apicem. Inde omnis contem-  
pta jacebat authoritas.**

*Ita Rex ipse in nuperno suo ad  
nationem sermone.*





## DISSERTATIO I.

*De origine Juris, quod Ecclesia habet in censuram librorum, et de usu ejusdem usque ad Innocentii III. aetatem.*


---

### §. I.

**J**us ac potestatem censurandi libros, Ecclesiae a Christo Domino collatam esse, cum usus ipse juris hujus probatissimus, atque inde ab Apostolorum temporibus serie perpetua ad nos usque deductus, tum vero plurima sacrae etiam scripturae testimonia sat dilucide ostendunt: cum primisque illa, quibus et Petrus, pastorum princeps ecclesiasticorum constitutus esse significatur, et Spiritus Sanctus potuisse Episcopos regere ecclesiam DEI, refertur: Act. 20. 28.


---

Potestatem censurandi libros a Christo Domino derivatam esse in Ecclesiam, probatur ex scriptura sacra, et Apostolica traditione.



Quid enim ad regimen sanctæ Ecclesiæ non solum utilius, verum etiam magis necessarium provideri potuit, quam doctrinæ sanctioris conservatio, atque una abolitio errorum, quibus Religio, moresque hominum, ac sacra depravetur disciplina? aut quid ad horum corruptelam possit facere periculosius, contagiosiusve, præ perniciosorum librorum lectione? quos merito pocula dixeris Babylonis; quemadmodum toxicorum varii generis plenissima, ita ad invitandum, propinandumque apprime idonea. Cum plerumque nec desit eis species boni, larvaque pietatis, et adsint insuper elegantiae nitores, atque lenocinia, ad fascinandos animos studiose accomodata, quibus sibi ipsis aditum aperiant, per calles etiam furtivos, et quandoque ad homines ejusmodi, quos operum ipsorum auctores ne tentare quidem, ac vel alloqui præsumpissent: ut, vigilantia opus sit prorsus pastorali, ne qua ruptis, aut transgressis sepibus, subreperant ad caulam gregis dominici.

Quare communis Theologorum sententia est: Ecclesiam, ipsumque Ecclesiæ caput visibile a Christo Domino inter cæteras



teras prærogativas ea etiam jurisdictione donatum esse, qua libros quosvis examinare, secernere, censurare, judicareque, ac cum opus fuerit, condemnare quoque valeat. Id quod in Concilio Florentino definitum fuisse existimatur: Romanum Pontificem Caput, Doctorem, ac Pastorem Christianorum constitutum, eique in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro JESU Christo plenam potestatem traditam esse. Cum alioqui constet: partem potestatis hujus non modicam, imo maximam eo pertinere, ut Pastores ovibus Christi lectionum pascua et salutaria præbere noverint, et subtrahere possint, atque etiam debeant nocitura.

Nec aliter rem jam fieri potuisse: ipsum Christianæ Religionis systema præprimis persvadet; si enim facultate hac Ecclesia destitueretur, ne quidem fides illæsa posset servari, nec Christus Dominus satis prospexisset Ecclesiæ. Quod Baronius quoque disertis asseruit verbis ad annum 447. N. 7. *Frustra Ecclesia, inquit ille, laboraret in hæresibus extirpandis, bonisque moribus fovendis, nisi unde*  
sca-






*scatet errorum, ac vitiorum colluvies, fons  
 penitus obstrueretur. Ex quo inferunt sa-  
 pientissimi quique Ecclesiae circa libros,  
 censuram, seu iudicium esse omnino in-  
 fallibile. Natalis certe Alexander Tom.  
 II. ad Sæcul. 6. Diff. 5. ita ratiocinatur:*  
 „ Cum sanam doctrinam ab hæretica dis-  
 „ cernere pro suo iudicio datum sit a  
 „ Christo Ecclesiae, et cum quælibet do-  
 „ ctrina libris aliquibus contineatur; ope-  
 „ ræ pretium erat, ut Ecclesia in iudi-  
 „ cio, quod tulerit de libris, in quibus  
 „ de fidei, et moralis Christianæ quæ-  
 „ stionibus agitur, non possit deficere.“  
 Unde ulterius suapte natura sequitur, Chri-  
 stianos omnes præcepto Ecclesiae, quo  
 certis libris interdicit, parere debere, ne-  
 que enim integrum est, ejus imperium in  
 re certa adeo ac necessaria, ipsumque sa-  
 lutis aternæ negotium concernente ulli  
 subditorum detrectare. Præclarum sane  
 utriusque hujus, nimirum: potestatis ju-  
 xta Ecclesiasticæ in Prælati, ac subje-  
 ctionis Christianæ in fidelibus specimen  
 expressum habemus exemplo illo, quod  
 ad prædicationem Pauli, Ephesi datum  
 fuisse his verbis memoriæ posterorum com-  
 mendarunt sacræ litteræ: *Multi autem ex*  
*iis,*

iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, et comparatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Act. 19. v. eodem.

Nec est, quod quisquam hic interpellat cum Pecenino: quasi locus iste de solis curiosis, ac sortilegis libris esset intelligendus, non vero etiam de illis, qui fidei moribusque adversantur. Telum enim sic temere jactum, graviore cum pondere, et vulnere in id ipsum recidit auctorem; si namque sortilegorum, et vel curiosorum operum inquisitio, ac eliminatio juribus Ecclesiæ subest; quanto magis immorigerorum, atque hæreticorum? Et reapse D. Augustinus ad hoc Apostoli exemplum remittit fideles Collat. 442. ubi sic habet: *Nostis in actis Apostolorum esse scriptum: quia multi perdit, et variarum doctrinarum sectatores, omnes suos codices, ad Apostolos attulerunt, et incensi sunt libri multi.* Hactenus Augustinus. Quid vero, quod etiam ipse Lutherus, hic contra Peceninum faciat, eum ita ad Spalatium: *Est veteris exempli, et moris antiqui, infectos et improbos codices combu-*  
ren-

---

Pecenini  
argutiæ ex-  
ploduntur.



rendi, quemadmodum legimus in actis Apostolorum.

Constat itaque, nec ab ullo, nisi ex pertinacia in dubium vocari potest: jus dijudicandorum librorum in Ecclesiam a Christo Domino cum ipso adeo munere pastorali, celeberrimaque illa clavium potestate derivatam esse. Quam subinde Apostoli, usu ac strenua executione comprobant, dum et lectionem voluminum, quæ sive gentiles, sive falsi Prophetæ, sive hæretici in præsidium suorum errorum conscripserant, a fidelium lectione interposito graui præcepto arcerent. Ac ne vel retineri possent; eadem publico iudicio atque prostitutione exterminarent, in nihilum redigerent.

Ne vero auctoritas hæc soli Apostolicæ dignitati putaretur esse propria, atque affixa; Apostoli ipsi eandem in omnes suos successores propagari studiose voluerunt. Hinc plena sollicitudinis ad Timotheum Pauli præceptio: *O Timothee! depositum custodi, devitans profanas vocum, novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ.* 1. Tim. 6. 20. Hinc et dilectissimi  
 Chri-




Christi discipuli ad electam ejusque filios mandatum, grave illud profecto, atque admodum urgens: *Siquis venit ad vos, inquit ille, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis.* 2. Joan. v. 10. et 11. Hac etenim instructione cum periculosa quævis cum hæterodoxis communicatio, tum vel maxime ea, quæ nulla alia est periculosior, quæve (ut mea est sententia) noxiorum librorum lectione continetur, interdicta esse intelligitur.

Atque ad hos sacrarum Litterarum fontes, ceu rivulum referendam esse autumo legem illam, quam auctor constitutionum Apostolicarum L. I. c. 6. his exprimit verbis: *Abstine ab omnibus libris gentilium, quid autem tibi cum alienis sermonibus, aut legibus, aut falsis Prophetis, quæ quidem homines a fide recta detorquent.* Nec alterius originis est canon ille, qui inter Apostolicos, sic nuncupatos, loco 59. censetur, quove non minus severe, quam salutariter, ita denique habetur sancitum: *Siquis falso inscriptos libros, tanquam san-*

---

Apostolicorum Patrum in abolendis fequioribus libris studia.



*Etos in Ecclesia publicat ad populi et Cleri  
perniciem, deponatur.*

Sancta nimirum illa, ac immobilis Patrum veterum in conservanda Ecclesiae primitivae disciplina tenacitas, Apostolicis adeo inhæsit traditionibus, ut easdem si non novis legibus, verbis certe etiam suis vellet sancitas, atque iterum iterumque inculcatas.

Quorumcunque autem auctorum sunt hæc duo, quæ modo attulimus momenta: ipsorumne Apostolorum? an Apostolicorum virorum? vel eorum, qui hos proxime exceperunt? Nihil moror, dum constet (ut constat certo) illa antiquitatem redolere, et characteribus ac vestigiis priscorum Ecclesiae morum expressis, satis insignita esse.

Suntque eadem insuper conformia illis, quæ primi Patres hoc de genere nobis scripta reliquerunt. Plurima sunt Tertuliani dicta, quibus nos prohibendi libros susceptæ doctrinæ ejus ætate jam vetus fuisse indicatur. Quem ipse quoque pro solenni suo gravissimis explicuit atque  
ultro

ultra promovit sententiis : quarum numero est etiam ista : *Nemo inde strui potest , unde destruitur : nemo ab eo illuminatur , a quo contenebratur.* De Præscript. C. 2. Historicorum vero Ecclesiasticorum fere nullus est , qui non adnotarit , in primitiva Ecclesia neminem Philosophorum , aut quorumvis doctiorum virorum gremio Ecclesiæ fuisse receptum , nisi qui simul scripta , quæ habuisset sequiora , secum attulisset comburenda , quod Gregorius Nazianzenus nominatim in magno illo Cypriano scribit esse effectum. Palam igitur atque in comperto est , censoriam librorum disciplinam non jam solum a Christo Domino-Apostolis traditam , verum etiam ab his ad primos Patres traductam esse , ac proinde eam tribus primis æræ christianæ seculis , adeoque vel sub ipsis Imperatoribus ethnicis ab Ecclesia summa cum accuratione atque constantia exercitam fuisse.

## §. II.

Quid porro sub Imperatoribus Christianis , atque in majori illa sacrae Religionis luce , ac libertate egerint , felices


B

illius

---

Opera primorum conciliorum in extirpatione





nem libro-  
rum noxio-  
rum collata.

illius ætatis præfules sanctissimi, adhuc  
uberius synchroni nos edocent Historici.  
Sic: a Nicæna prima synodò prohibitos,  
ad rogumque damuatos Arii libros acce-  
pimus, quos propterea magnus ille Ec-  
clesiasticarum sanctionum assertor Constan-  
tinus, poena capitis indicta vetuit, quo-  
quomodo ignibus subduci. Idem consti-  
tuere Patres Ephesini Concilii de scriptis  
Nestorii, qui etiam, ut sui vis decreti  
latius maneret, atque in usum certius de-  
duceretur; synodicam præterea dedere ad  
Theodosium secundum epistolam, in qua  
opem ejusdem his implorarunt verbis:  
*Vestram autem Majestatem iterum atque  
iterum rogatam cupimus, ut universam il-  
lam doctrinam e sanctis Ecclesiis submoveri,  
ejusdemque libros, ubique locorum repertos,  
jubeat flammis absumi.* Par fuit Chalcedo-  
nensis quoque Concilii in supprimendis  
Eutichetis scriptis solertia, qua id effe-  
ctum est denique, ut ii edicto Imperato-  
rum ubivis locorum conquirentur. Præ-  
tereo cætera, quæ hic cum dignitate con-  
geri possent exempla, quoniam hæc ejus  
mihi videntur esse sive autoritatis, sive  
majestatis, quæ numerum non requirant,  
ad fidem de eo faciendam, quod censu-  
ran-


randorum jus librorum a Christo Domino acceptum, Ecclesia primis sæculis strenue exercuerit.

§. III.

Sunt tamen (quod mirere) adversarii nec tenues, neque pauci, qui de possessione sua deturbare, aut parte saltem illius aliqua multare conitantur Ecclesiam. Aliis enim injustum esse videtur, quod Ecclesia sibi proprium faciat jus librorum censurandorum, quorum examen commune debere esse fidelibus contendunt. Alii id solum concedunt Pontificibus, ut eosdem examinare, atque etiam condemnare queant, sed ad præmonitionem tantum, seu cautelam lectorum, non vero etiam ad aliquam conscientie obligationem, qua ab eorum lectione absterreantur. Alii demum quanquam horum utrumque, quin et censurarum in refractarios ferendarum potestatem non abrogent Principibus sacris, illud tamen, ut libros concremare, aut quovis modo possessores illis spoliare queant, Magistratui sæculari volunt esse proprium. Nos vero hic omnia contraria statuemus: nempe et ex-

---

Recensentur sententia eorum, qui vellunt ius Ecclesie, quod illa habet in censuram librorum.




cludendos a jure examinandorum librorum, homines privatos, et attribuendam esse Ecclesiæ potestatem, non modo prohibendi sub reatu culpæ, et pœnæ libros noxios, verum etiam eosdem execratione et flammis persequendi. Quartum porro genus adversariorum, quoniam ei hodierna solum censure ratio displicet, ac pro illegitima habetur: tunc demum audiemus, cum opus hoc nostrum ad nostra usque tempora deduxerimus. Utinam autem vel ad tria illa, quæ modo proposita sunt, absque Chronologiæ confusione respondere possemus. Sed enim inimicorum levitas, et inconstantia ita per omnes ætates sine lege grassantur, ut nos quoque cogat tempora transilire, ac vetustioribus quandoque recentiora admiscere.

#### §. IV.


**Proponuntur et diluuntur argumenta eorum, qui jus legendi libros quoslibet volunt esse omnium** **ii,** qui negant ad solius Ecclesiæ tribunal pertinere jus examinandi, atque adjudicandi libros, nituntur illo Apostoli dicto: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* 1. Thes. 5. 21. Qui enim fieri potest, inquit, ut de libris deligantur, meliora relictis deterioribus, quos nedum legi,





legi, sed vel retineri vetet Ecclesia, cui <sup>bus promi-</sup>  
utpote soli examen eorum sit reservatum, <sup>scuum.</sup>  
jure probandi omnibus aliis sublato.

Itane vero locum hunc Apostoli ad  
librorum examen traducunt impostores isti,  
qui rectius, ac unice intelligendus est, de  
periclitandis id temporis fratribus, cum  
doctrinam nondum auditam, ac probatam  
in medium attulissent, neque istud priva-  
tim, aut ad uniuscuiusque arbitrium (quod  
illi de libris volunt) sed palam, et aper-  
te, quo videlicet in Ecclesia, et Con-  
ventibus, atque Synagogis discernerentur,  
Prophetæ ne ii essent, an Pseudo-Prophe-  
tæ. Juxta illud, quod idem Apostolus  
alibi fieri præcepit: *Prophetæ, inquit,  
duo, aut tres dicant, et cæteri dijudicent.*  
I. Cor. 14. 29. Locum equidem ab ad-  
versariis laudatum de prædicatoribus pro-  
bandis, non vero de legendis libris cou-  
scriptum esse, aperte demonstrat, vel ver-  
ficulis, quem ei Paulus proxime præmi-  
sit, dicens: *Prophetias nolite spernere.* Ut  
sensus sit: in Prophetis, et Prophetiis no-  
vis omnia probanda, et quæ sunt bona,  
tenenda esse. In eo itaque est partis ad-  
versæ impostura, quod illis Pauli verbis:




*Omnia probate*, a reliquo corpore avulsis, generalem quamdam quidvis probandi veniam datam esse fidelibus contendat, quæ contextim (ut dici amat) accepta, experimentum in prædicatoribus solis doceat esse faciendum.

Sed demus sententiæ illi ampliorem sensum inesse. Attamen ultra dubias ac incertas res, atque quæstiones, eam nemo extenderit, minime vero omnium Apostolus, de quo constat, quod ea, quibus certus sive boni, sive mali character insedisset, nunquam voluerit novo committi iudicio, sed ut illa indubie teneri, ita hæc constanter repudiari iusserit. Hinc et Corinthios commendat ab observatione eorum, quæ ipso tradente didicerunt, et Thessalonicenses post eadem ipsa, quæ adversarii toties pro se laudant verba, mox ita est cohortatus: *Ab omni specie mali abstinete.* Potestne autem quidquam pejus videri præ libris pravæ doctrinæ? Postquam ii sive suo se prodiderint legentibus indicio, sive a pastoribus Ecclesiæ sunt pro improbis declarati.

Accedit, quod ipsa hæc res dubias, ac incertas probandi venia a Paulo Apostolo fidelibus data, non aliter fit accipienda, quam per prudentem quandam œconomiam, et commensurate ad suum cujusvis modulum: ut nimirum ea quisque probare possit, quibus ipse par esset probandis. Cum itaque palam sit, paucos admodum reperiri litterarum peritos, neque ex his pollere quemvis ingenio atque judicio, quod discernendis sapientiorum scriptis sufficiat. Jam causæ hujus patronos fateri necesse est; aut tribunalia ab iis exigi, quibus præsideat insipientia, aut aliquibus jure denegari librorum promiscue legendorum licentiam. Ego vero iis etiam viris, quorum conspicua sit doctrina ac eruditio, adeo vetitam esse censeo librorum prohibitorum lectionem, ut hanc nec Episcopis concedam, nisi de licentia supremi Ecclesiæ Pastoris, ita enim jura statuerunt, ut infra videbimus.

At inquirunt: aliud fuit hoc de negotio Hyeronimi judicium, qui hæc ipsa Apostoli verba pro scuto objecit impugnatoribus. Sic enim scribit ad Miner. et Alexandr. „ Siquis immurmurat, qua-






„ re eorum explanationes legam, quo-  
 „ rum dogmatibus non acquiesco, sciat  
 „ me illud Apostoli libenter audire: *omnia*  
 „ *probate, quod bonum est, retinete.* Cur  
 „ me lacerant amici mei, et adversus si-  
 „ lentem crassæ lues grunnitant? meum  
 „ propositum est antiquos legere, pro-  
 „ bare singula, retinere, quæ bona sunt,  
 „ et a fide Catholicæ Ecclesiæ non rece-  
 „ dere.“ Hæc ex Hyeronimo. Addunt  
 autem ei Theophilum etiam Alexandri-  
 num, obtrectantibus, quod libros Orige-  
 nis legeret, talia respondentem: *Siquid*  
*boni in illis reperio, illud excipio; si vero*  
*spinofum quid visum fuerit, hoc tanquam*  
*aculeatum quid prætereo.* Accumulant his  
 alia quoque Patrum exempla sane splen-  
 didissima, ut nimirum perstringant oculos;  
 ne per nimiam tantorum virorum lucem  
 id quod rectum verumque est videamus.  
 Quid tamen efficiunt, nisi ut eos vel in  
 his suis conatibus deficere, atque altum  
 prolabi velut manibus contrectemus: qui  
 nempe quo promiscuam faciunt librorum  
 legendorum veniam, summorum Ecclesiæ  
 Præfulum ac Doctorum utuntur exemplis;  
 perinde ac si par esset aquilarum, noctua-  
 rumque magistri, ac discipulorum, pasto-  
 ris

ris et gregis, Principum et plebis, Ducum ac gregariorum ratio. Sed propriis eos armis aggrediamur, ac conficiamus.

Hieronimus equidem quantum reprobaverit librorum, qui Religioni, bonis moribus, ac pietati obsunt, lectionem non uno prodidit loco: tum nempe Epistola 10. ad Furiam, cui legem eam posuit: *Doctorum ut hominum legeret libros, eorumque duntaxat, quorum fides nota est, non necesse, ait, babes aurum in luto quaerere.* Tum in Reg. Mon. *Melius etiam est, inquit ille, aliquid nescire, quam cum periculo discere.* Omnium autem contentiosissime verbis, quæ nobis Sixtus Senensis L. II. T. 1. prout sequuntur conservavit: *Nemo ad lupanar mittit virgines suas, quamvis quædam ibi reperiri possent, de turpi corruptione lugentes, nemo hæredem suum latronum turbæ committit, ut discat audaciam; nemo in perforatam intrat cymbam, ut discat vitare naufragium: et ad planum prostibulum, hæresibus plenum volumen animam diriges immunem doli, ut ibi discas catholicam veritatem.* Ista est Hieronimi doctrina, quam nos sequi decet magis, atque sive ejus, sive aliorum



ipſi æqualium Patrum hoc in genere exempla, nam illa generalis eſt, quæ ad omnes pertineat fideles, hæc vero ſingularia adeo ſunt, ut in communem ſequelam a nobis trahi non poſſint, quoniam vel iſta reprobanda forent, niſi licentia ſummi Eccleſiæ Paſtoris culpam ab iis removiſſet. Quid ſi (ut ego quidem exiſtimo) Præſules illius ætatis, qua Hyeronimus floruit, peccato exemiſt, quartum Chartaginense Concilium, quo jam anno 398. *facultas data eſt Episcopis legendi libros hæreticorum pro tempore et neceſſitate.*

Dyoniſius certe Alexandrinus, qui his temporibus major fuerat, cum fluctuaret: num ſibi licita eſſet hæreticorum librorum lectio, conſutandi gratia ſuſcepta, tamdiu nihil conſtituere apud ſe potuit, donec voce illa de cælo lapſa confirmaretur: *lege omnia, quæ in manus tuas veniunt, valebis enim expendere, et probare ſingula.* Quisnam autem quantuſve fuerit hic Dyoniſius, is ſolum ignorarit, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſit peregrinus. Erat quippe vir ut ſanctitudine, ita doctrina zeloque celeberrimus, qui et Chiliaſtas, et Novitianos, et Nepotianos,

et




et Sabellium, et Fabium Antiochenum, et Paulum Samofotenum devicit, atque proffigavit. Hunc tamen suæ ipsius oves destituerunt, cum iis suboluisse Pastorem ipsum libris hæreticorum paullo plus fuisse intentum, ut a Pontifice eorum querelis fatigato, admoneri debuerit Dyonysius: ne pergeret ultra offendiculum præbere iis, quibus exemplo esse obligetur. Ita nempe in primordiis Ecclesiæ, libri, ea ipsa re, quod heterodoxos haberent auctores, communi quadam lege pro scriptis fuerunt habiti, atque in suspensionem hæresis venirent, quicumque eos absque licentia Papæ legissent, esto adhuc nulla peculiari censura afficerentur; valebat quippe tunc, et jam instar axiomatis habebatur, quod postea Gregorius Magnus Athanasio Patriarchæ Antiocheno scripsit: *Damnato quodam hæretico omnia ejus opera statim damnata habenda esse. Donec videlicet (quæ mea est opinio) arbitrium subiverint Ecclesiæ.* Quando ergo orta, aut unde ducenda est lata illa, ac omnibus promiscua librorum legendorum facultas? Hyeronimum tamen facultate hac a Damaso Papa donatum fuisse nemo dubitaverit, qui quidem norit, illi



ab eodem Pontifice negotiorum in Ecclesia DEI omnium gravissimum demandatum fuisse, scripturarum videlicet sacrarum versionem, correctionem, ordinationem. Confirmaturque res opposito Theophili Patriarchæ, qui Hyeronimi fere æqualis fuerat casu. Hunc enim Socrates Hist. L. 6. C. 17. a Concilio quodam damnatum fuisse refert, quod non compellato Pontifice Romano, libros Origenis volutasset. Quid quod ipse etiam Hyer. in Reg. Mon. fateatur a DEO subinde se coercitum, atque flagellatum fuisse, quod fors curiositate et aviditate legendi victus, aliquando ultra limites præscriptos profiliisset.

Jam vero, si vel primis illis facultis orthodoxorum Scriptorum adhuc multum egenis, ac pene vacuis, pro grandi piaculo imputabitur magnis etiam Ecclesiæ Antistitibus, volumina hæreticorum absque facultate Romana legisse. Quid de ætate posteriori censendum est, quæ ut annorum, ita librorum optimorum numero crevit, eoque demum pertigit, ut prope plusquam necesse sit, abundaret? Anne major hæc salutarium pascuorum copia necessitatem aut vel facultatem adferat



ferat cuilibet obvio gramen pertingendi perniciosum? vix equidem credam, qui his lectis, aut undeunde cognitis sic adhuc insaniat, ut librorum quorumvis arbitrium aut ab Ecclesia avellat, aut cum Ecclesia velit etiam aliis passim esse commune.


### §. V.

Sed sunt alii juris ac patrimonii hujus a Christo Domino Ecclesiæ relictæ depeculatores, qui quidem minus detrahunt de hac potestate Ecclesiæ; iidem tamen nihil minus, quin plus nocent fidelibus. Priores enim illi, qui librorum omnium discutiendorum, ac judicandorum potestatem cuivis fidelium liberum faciunt, ipso hoc Hierarchiæ Ecclesiasticæ contemptu satis produnt, se extra Ecclesiam esse, ac perinde fidem, qua carent, apud fideles non inveniunt. Ast hi, cum quibus jam res nobis est, quoniam orthodoxis accensentur; ut receptæ in sinum aspides nocent periculosius. Sunt autem Claudius Fleurius, Petrus Svavis, Van Espenius, et Petrus Giannoni, quorum fere eo recidit opinio, ut consentiant Ecclesiam

---

Claudii  
Fleurii, Pe-  
tri Svavis,  
Van Espe-  
nii, Petri  
Giannoni  
opinionem  
proponun-  
tur.






clesiam non plus posse in libros, et ma-  
 nuscripta, quam ut dispiciat omnia, pro-  
 ba discernat ab improbis, hæcque demum  
 damnet, aut potius jure quodam naturæ  
 damnata esse declaret, populisque pro-  
 ponat: judex denique sit mali, nulla au-  
 tem ratione legislatrix, quæ vinculo quo-  
 quam obliget animos, abstrahatque a li-  
 bris quibuscunque legendis. Satis istud  
 esse ajunt illi ad homines, quorum timo-  
 rata rectaque sit conscientia a contagione  
 avocandos. Nam libertinorum, pertina-  
 ciumque curiositas (ut iidem augurantur)  
 prohibitionibus, præsertim rigidioribus,  
 multoque plus intimatione censurarum  
 provocatur potius, quam coercetur. Ad-  
 dunt his et illud, quod rigore hoc qua-  
 si murus quidam objiciatur viris peritio-  
 ribus; quem cum perrumpere non audent,  
 serpere sinunt fentes et lolia in agro do-  
 minico, quæ extirpare prohibentur cum  
 ingenti fidelium, præsertim simpliciorum,  
 adeoque ipsius Ecclesiae detrimento.

Tuentur se etiam per Gelasii Papæ  
 Primi decretum, anno 494. in Concilio  
 quodam Romano publicatum. Quo Clau-  
 dius Fleury Diff. 7. §. 13. Elenchum li-  
 bro-

brorum ita propositum fuisse afferit, ut in eo libri quidem authentici ab apochryphis secernantur. Vestigia vero prohibitionis aut censuræ alicujus prorsus nulla se offerant, sed admonitio solum ad cautelam lectorum adjecta ad calcem hæc conspiciatur: „ Cum ista ad Catholicorum manus advenerint, Beati Pauli Apostoli præcedat sententia: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Exemplum est istuc (exclamat hic Claudius) prudentis, et moderatæ antiquitatis in sola videlicet populorum instructione acquiescentis, non vero cæcam illam submissionem, quæ ignorantæ effectus et causa esse solet prætendentis.“ Fleurio Van Espenius in eo consentit, quod decreto Gelasiano privata quidem ac domestica librorum apocryphorum lectio minime sit prohibita, verum publica solum, quæ in cætibus Ecclesiasticis haberi; id temporis solebat, habet hæc Van Espenius Par. I. Tit. 22. De Congr. Cardin. C. 4. n. 2. Ambo autem refugium extremum, et quasi arcem causæ suæ constituere videntur in Hormisdæ Pontificis autoritate. Qui Epist. 70. ad Possessorem laudatis toties Apostoli verbis: *Omnia pro-*

*pro-*



*probate, cet.* librorum pravorum lectionem non modo reprobavit (quod ipsi putant) verum etiam svasit, commendavitque ea allata ratione, quod nisi libertate hac scriptores gaudeant orthodoxi, technæ inimicorum non aliter sint detegendæ, quam ruinis Catholicorum. Cujus Pontificis etiam dictum: *Non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes.* regulæ instar ac axiomatis habent.

## §. VI.

Responde-  
tur ad Clau-  
dii Fleurii  
argumenta.

Hæc illi contexuerunt sane operose, nos autem eadem nullo retexemus negotio. Ideone enim non sit fas Ecclesiæ libros prohibere noxios, aut a prohibitorum lectione minis censurarum fideles arcere: quod ipsa hæc tam severa prohibendi ratio licentiosæ vitæ hominibus occasio sit futura multiplicandarum prævaricationum? Ast si huic rationi pondus aliquod ineffet, jam nullæ leges humanæ valerent, cum ea sit humanæ naturæ corruptio, qua (ut Poeta canit) *nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* sed nec obtineret amplius tritum illud Juris ætriusque diverbium, quod itidem carmi-  
ue



ne expressum habemus : *Nam metuunt peccare mali formidine poenæ.* „ Quod leges violentur, (inquit Chrysostomus) „ non earum est natura, sed hominum „ malitia; neque tamen justis præceptis „ est abstinendum, ut ampliatur licentia hominibus quidvis impune agendi.“ Id verum esse negaverit nemo, leges humanas, quae a paucis, nec nisi admodum difficulter observantur, neque ferendas, nec si latæ fuerint tolerandas esse. At quidnam quæso difficultatis est in petenda facultate, ut libri prohibiti legi, ac haberi possint? quam nempe Episcopi nunquam libentius largiuntur, atque causa confutandi. Scriptor profecto quilibet quo sapientior est: eo etiam studiosius enitetur ad licentiam hanc obtinendam, propterea, quod argumentum quodvis periculofum liberius securiusque sit versaturus, si hoc quoque scuto adversus hostes muniatur, plane ut miles, qui tum vel maxime consulit existimationi suæ, cum jussu pugnat Regio, reportaturus haud dubie infamiam, si privatæ studio vindictæ in Monomachiam prorupisset.



Illud vero non ita facile desinivero : admirationemne, an indignationem mereatur, quod Fleurius adeo oculos suos sponte obæcaverit ; ut nullo modo in Gelasiano decreto conspiciere vellet prohibitionem ; cum tamen Hormisdas Papæ ad Possessorem scribens testetur, illo non repudiari solum, verum etiam eliminari, imo indissolubili anathematis vinculo in æternum damnari scripta hæreticorum. An fors damnationem hanc directivam solum, non vero etiam præceptivam ; multo autem minus coactivam putet Claudius ? Ita equidem ille, sed iterum cæce : Clemens siquidem VIII. in constitutione Sacrosanctum data 17. Octobris, 1595. palam edixit, a Gelasio sub censura detentores, et lectores librorum illorum jam damnatos fuisse. Deprehensus est itaque Fleurius in aperto imposturæ flagitio, qui quemadmodum alias ad modernam Ecclesiæ disciplinam in odium, atque contemptionem adducendam, vetustioris Ecclesiæ exempla passim per omnia sua opera perquam artificiose proponit ; ita hic ut salutarem, quo nunc Ecclesia in censurandis libris utitur, rigorem cavilletur, primitivæ Ecclesiæ benigniorem

hoc

hoc in genere agendi rationem attribuit. Quam autem falso et subleste istud, satis, ut opinor, a me detectum est: tum nunc in Gelasii decreto, tum jam nuper in Apostolis, Apostolicis viris, cæterorumque 5. primorum sæculorum conciliis, atque Episcopis. Leo sane M. dimidio fere sæculo superior fuit Gelasio: is tamen Epist. 15. unde inquit: „ Siquis „ Episcoporum apocrypha haberi per do- „ mos non prohibuerit, hæreticum se „ noverit judicandum: quoniam si alios „ ab errore non revocat, se ipsum erra- „ re demonstrat.“ In responso vero ad S. Turibium de Apollinaristarum, et Dactynii Episcopi scriptis ita diserte pronunciat: „ Sed nemo hæc Catholicus præsu- „ mat, nec inter Catholicos censeatur, „ quisquis utitur scriptis ab Ecclesia Ca- „ tholica damnatis.“ Quænam ergo est hæc Claudii temeritas? dicere Ecclesiam ad Gelasii usque tempora prohibitionis librorum potestate nunquam usam fuisse.

### §. VII.

Nec meliori apud me est loco Van Van Espen-  
nius consu-  
tatur.  
Espenii opinio. Dum Gelasianum hoc de-  
cretum





cretum a privata lectione abstractum, ad publicam duntaxat restringit prohibitionem. Cui enim vel privato homini, ac vel inter domesticos parietes liceat attingere libros, quos Pontifex ipse pro eliminatis, hæreticis, anathemate proscriptis habet, quorum detentores idem damnatis adnumerat? Monitio autem illa judici Gelesiano addita, cui Fleurius juxta ac Espenius tantam vim induunt, roburque summum faciunt, non utique ad omnes promiscue, sed ad illos solos longe optime directæ esse intelligitur, quibus jam alioquin haud desit facultas libros legendi prohibitos, nam et hi opus habent cautela, et monito Pauli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

At Papa quoque Hormisdas hanc in rem laudatur? Ita, sed pari fide, id est, subdola. Hormisdas namque consultus erat a Possessore de libro Gennadii, qui nondum confixus erat, sed sub iudice solum, et acri apud Constantinopolim controversia versabatur. De hoc itaque solum, aliisque huic similibus voluminibus nondum vetitis, respondit Papa: *Non legentes, sed sequentes incongrua in culpam*


*venire.* Gnarus alioquin, nec aliorum hæreticorum lectione peccaturum Possessorem, qui e numero esset Episcoporum, quibus non multo ante veniam hanc fecisset Concilium IV. Chartaginense, nisi fors (quae non vacua est sententia) dubitarit Possessor, adeoque consuluerit etiam Pontificem: num Africanam hanc Synodum ita approbasset Roma, ut istam ejus concessionem in uniuersam extendi voluerit Ecclesiam? Verba profecto Hormisdæ nonnisi violente, ac fraudulenter possunt traduci ad auferendam omnem ab Ecclesia libros, quos ipsa iudicauerit prohibendi potestatem. Platina namque appendice in Hormisdam et Bajerling voce, *Dedecus.* Laudant nobis hunc Pontificem inde etiam, quod Manichæorum, aliorumque hæreticorum libros præcepto gravissimo legi vetuisset. Fierine autem potuit, ut legislator cordatus uniuerse laxet simul frænos liberrime, simul adducat eosdem strictissime?

### §. VIII.

Non ita est, inquit Svavis Polanus, nec istud agitur: num Papa, aut etiam

---

Petri Svavis opinio  
convellitur



Ecclesia, ampliare, diminuereque valeat librorum legendorum veniam, quam utpote a jure ipso naturæ jam alioqui datam aut negatam esse constet; datam illis, quibus nullum; negatam, quibus aliquid creet lectio periculum, ut omnino superflua sit isthic omnis Ecclesiæ concessio, aut prohibitio, quæ nec proficit periculo obnoxiiis, nec obsit illius experientibus. Bella sane ratiocinatio, qua nimirum ipsa DEI præcepta infringuntur. Quoties præcipiunt, aut vetant, quæ jam alioqui lex naturæ animis hominum insculpsit? Cujusmodi cum plurima, tum potissimum sunt ea, de quibus agit Decalogus. Si itaque DEUS, qui nihil unquam frustra operatus est, cur non et Ecclesia nomine DEI queat imperare, aut prohibere, quæ natura quoque præscripsit, aut proscripsit. Id ut minus negari nequit, leges divinas juxta atque humanas valere plurimum, tum ad excitandam conservandamque jurium naturæ memoriam, tum ad tollendas aut impediendas illusiones, quibus quis persuadere sibi facile posset, sese supra corruptionis pericula positum esse, tum ac vel maxime ad homines in officio continendos, poenis




pœnis etiam externis ac temporalibus propositis, quas jus naturæ per se nullas irrogavit, sed soli auctori reservavit naturæ. Plura hic adjicienda forent, redarguendusque etiam Svaris de nonnullis ingeniose (ut ille putat reipsa autem imperite ab ipso eodem prolatis. Sed hæc in præsentiarum sufficiant, erit locus ista eadem retractandi, cum nimirum discutitur quæstio: An lex, qua Ecclesia librorum noxiorum lectionem prohibet, ad eos etiam pertineat, qui nullum contagionis inde contrahendæ adducunt periculum? Vide infra Differt. 2. §. 9. 10.

§. IX.

Nunc ad id respondeamus, quod præstremo objectum est loco. — Negabatur nempe corruptorum voluminum combustionem, aut aliam quamvis destructionem ab Ecclesia decerni posse: utut enim merces hæc perniciosæ essent, ac propterea non condemnari solum, verum etiam fidelibus interdici ab Ecclesia jure ac merito possint, earundem tamen possessione homines privare non ad alium pertinere, quam qui in ipsa privatorum bona tem-

---

Petri Gian-  
noni ratio  
vana esse  
ostenditur.




poralia ac fundos, alto quodam jure pro tempore et necessitate exercendo, præditus esset. Quod equidem jus tam generale Ecclesia nunquam adhuc sibi arrogavit, nec arrogare deinceps potest. Istuc post Svavem Polanum non ita pridem docuit Petrus Giannoni, qui etiam inde factum esse asserit, quod ipsa adeo prima Ecclesiæ Concilia opem Imperatorum imploraverint ad libros hæreticorum, tum e manibus fidelium, interminatione pœnarum temporalium extorquendos, tum postquam extorti fuerint penitus abolendos: quo videlicet sic de jure suo suppleant Principes laici defectum juris Ecclesiastici. Quod si Pontificum aut Episcoporum aliqui hæc suo fieri jusserint aliquando nomine, id non nisi abusui atque arrogantiae eorum adscribendum esse existimat Giannonius.

Non is ego sum, qui Principes politicos executores solummodo faciam Ecclesiasticorum Decretorum, quin potius jura eorum, quibus Reipublicæ commodare queant, usquequaque protensa, atque ad summum cumulata velim, potestatem certe, quam a supremo omnium re-

ge acceperunt, ne hilum quidem pergo imminutum. Neque tamen propterea sive timore, sive gratia illa me unquam abripi sinam, ut Ecclesiasticæ jurisdictioni, quod quidem ejus sit, vel minimum detrahā, ut inde velut ex rapina ditem potentiam laicalem. Quod cum rebus in pluribus locum habere censeam; tum etiam in hoc, quo de agimus argumento. Quare quemadmodum olim reservato nempe mihi tempore jus disperdendorum librorum, cum ii Reipublicæ noxii fuerint, Principibus sæcularibus consulto sum asserturus; ita nunc indubitanter affirmo, idem Principibus quoque Ecclesiasticis absque ullis aliorum præjudiciis jure quodam proprio competere. Nam quamvis libri materia constent, atque jure civili possideantur a Dominis, iidem tamen simul in jus invadunt spirituale, dum videlicet pestem continent periculosissimam, et contagione sua perdere parant animos subditorum Ecclesiæ. Cui cum cura salutis fidelibus procurandæ a DEO cum primis demandata sit, quis est, qui non perspiciat, potestatem una ab eodem numine ipsi esse collatam, ad removenda fidei et morum bonorum, sine quibus bea-






titudo futura non obtinetur, quoquo modo obstacula? DEUS equidem nemini negat media ad finem, quem proposuit, assequendum, necessaria. Quamquam potestatem hanc lex naturæ potius atque insita, et cognata quædam charitas Ecclesiæ afferuisse videtur. Ut nimirum, cum communis sit Christianorum omnium mater, venenum e manibus filiorum, quo sibi æternum exitium conciscere stolide volunt, excutere possit, esto excussione hac, et virus pessum eat, et poculum diffringatur. Quamobrem Petrus Giannonius similis mihi esse videtur puero nondum usum rationis affecuto, aut adulto dementi, qui inde vel maxime furat, quod vi extorquetur ipsi culter, quo semet ipsum mox erat confecturus.

Quod vero Papa, Concilia, Episcopi brachio Imperatorum, quemadmodum §. 2. commemoravimus, in hanc rem persæpe usui fuerint; id quidem argumento est, Ecclesiam externis viribus tum fuisse destitutam, quæ suffecissent coercendis, præsertim potentioribus. Non vero jure etiam ipso, nisi comprobatum fuerit istud ab ea nunquam fuisse exercitum, ne tunc  
qui-

quidem, cum poterat ac debebat exerceri. Atqui innumera suppetunt exempla, quæ ostendant, non sanctitas modo fuisse ab Ecclesia de libris comburendis leges; verum etiam quamprimum et quoties restulit, effectui strenuissime mancipatas. Nec per abusum, atque arrogantiam istud, ut calumniatur Giannoni, sed plane legitime, cum et parte ab una nihil vererentur Præsules sanctissimi, ne hac re limites honestatis transilirent, et parte ab altera Imperatores non modo nihil obmoverent in contrarium, sed et summe venerantur et zelum eorum, veluti juris a Christo Domino accepti specimen, læti suspicerent. Idemque jam tum sentirent, quod Carolus Magnus de se subinde prædicabat dicens: „ In memoriam Beati Petri  
 „ honoremus Romanam et Apostolicam  
 „ sedem, ut quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra  
 „ Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut  
 „ liceat vix ferendum ab illa S. sede imponatur jugum, tamen feramus, et pia  
 „ devotione toleremus.“ Legere est hæc in Conc. Tribur. Can. 30. Ut adeo, qui potestate hac spoliât Ecclesiam, quo eam totam



totam in politicos transcribat Magistratus. Ne is et Papas, Concilia, atque Episcopos injustitiæ impudentiæque palam arguit, qui in jus alienum involaverint, et Imperatores, aliosque Principes politicos turpis inscientiæ, aut dissolutionis accusat, qui jura sua aut ignoraverint, aut aperte passi sunt proculcari. Sed de librorum prohibitorum concrematione alibi paulo aliter differemus. Dissertatione V. §. 6. cum ostenderimus jus quidem antiquum in Ecclesia permanisse, sed usum juris hujus ex nova disciplinæ ratione nonnihil immutatum esse.

### §. X.

Exempla  
disciplinæ  
librorum  
Censoriæ ad  
seriem tem-  
porum di-  
gesta.


Nunc ii sunt secundum temporum seriem recensendi, qui combustione jus idem exercuerunt. Leo equidem M. An. 443. Manichæorum libros simul damnavit, simul autoritate propria in rogam conjici jussit. Idemque debere fieri ab Episcopis quoque scripsit ad Turibium Antistitem, verba ejus retulimus §. 6. in fine. Fecerunt hoc ante Leonem non solum Concilia, quæ jam toties laudavimus, verum etiam doctissimi quique ac sapientissimi

Præ-



Præsules: S. Epiphanius, et Theophilus insuper feverus adeo et immobilis existit, ut cum rogaretur, ne bona plurima Origenis cum paucioribus malis pari sorte haberet, responderit: *Lectionem penitus esse respuendam, quæ plus nocitura esset insipientibus, quam sapientibus profutura.* Sed exemplum Leonis M. plures traxit postea in sui imitationem: nam et Symachus Papa sub finem sæculi V. et Hormisdas sub initium VI. illum studiose æmulabantur in eliminandis Manichæorum commentis. Vestigiis his iustiterunt subinde Concilia duo generalia V. 4to. et VII. 8vo. sæculo, illud scripta Theodori, Theodreti Mopsvestini, et Ibæ epistolam: hoc Iconoclastarum libros profligando, atque, qui eos legerent, execrando. Nec decrevit crescente tempore rigor hic fatalis. Nam sæculo IX. et Nicolaus I. in Saracenorum, et qui mox eum in Pontificatu exceperit Hadrianus II. in Photii scriptis prohibendis, ac e rerum natura eliminandis nihil non operæ posuerunt. Decimo porro sæculo, quoniam illud et scriptorum sterile admodum esset, nec ulla in eo se hæresis magnopere efferret, censura etiam Ecclesiæ libraria tantisper con-

quie



quievit. Benedictus tamen VII. celebrato Romæ Concilio Simoniacorum conatus sæculo eodem multum refrenavit. At mox ut auctores pestiferi se movere cœperunt; Ecclesia quoque sua resumfit arma, eaque statim sæculo XI. et Leo IX. in Scoti Erigenæ, et Nicolaus II. in Berengarii. Dein vero Sæculo XII. Innocentius II. in Abailardi, et Arnaldi Brixiensis, ac demum Honorius III. sæculo XIII. rursus in Scoti Erigenæ, sed alias chartas intorsit, iisque incendium intulit, et vastitatem. Ultra jam haud procedo: quoniam Innocentii III. ætatem non attingi solum, verum etiam aliquantum prætergressus sum, quem tamen terminum præstitueram huic dissertationi. Et licet pars solum dicta sit eorum, quæ dici poterant; hæc ipsa nihilominus idmodi sunt, ut merito unumquemque subeat admiratio, ac pene stupor: qui fieri potuerit, ut iis cognitis reperiantur scriptores tam perfrictæ frontis, quos chartæ allinere, ac afferere non puduerit examinandorum librorum potestatem haud esse propriam Ecclesiæ, sed communem cum privatis hominibus, jus vero libros noxios prohibendi, aut quovis modo disperdendi nec ipsi quidem Ecclesiæ competere. Exem-

Exempla profecto, quæ in hanc Dissertationem congeffi, et sub initium ejusdem inde ab Apostolorum temporibus ad sæculum V. et nunc sub finem a sæculo V. usque ad XIII. fere ejus generis delègi, in quibus jus triplex, videlicet: examinandi, prohibendi et comburendi libros quosvis noxios ab Ecclesia stetisse perhibetur. Arrogantis sane, ne dicaro, impudentis animi esset, duos tresve homines privatos, quales sunt, qui hic se non tam nobis opposuerunt, quam veritati, proptereaque etiam confutati existunt contra nubem testium: publica, eaque summa auctoritate prædictorum deponere, et prævalere velle.

O. A. M. D. G.

## Seqvuntur Tituli Dissertationum ineditarum.

### DISSERTATIO II.

De formâ Disciplinæ librorum censoriæ, quam Ecclesia a tempore Innocentii III. usque ad Leonem X. adhibuit.

DIS-





DISSERTATIO III.

De censoria librorum disciplina a Leone X. usque ad Clementem VIII. producta.

DISSERTATIO IV.

De Clementis VIII. industriis, quibus ille censoriam librorum disciplinam multum pervolvit.

DISSERTATIO V.

De constitutionibus Gregorii XV. et Urbani VIII. ad rem censoriam pertinentibus.

DISSERTATIO VI.

De iis, quæ Alexander VII. in censoria librorum disciplina explicuit, aut innovavit.

DISSERTATIO VII.

De via et ratione, qua Benedictus XIV. artem librorum censoriam ad perfectionem perduxit.

DISSERTATIO VIII.

De indicibus librorum prohibitorum jussu Benedicti XIV. editis.

Duæ sequentes dissertationes jam typis datæ sunt.

DISSERTATIO IX.

De Clementis XIII. Pontificis maximi, et Augustissimæ Imperatricis ac Reginæ Hungariæ Mariæ Theresiæ conatibus Apostolicis in librorum perniciosorum abolitionem impensis.

DISSERTATIO X.

In qua disquiritur: Num et qua ratione competat Principibus sæcularibus jus censurandi libros? Ac specialiter agitur de disciplina Posoniensis Censuræ.



OSZK

Országos Széchényi Könyvtár

